

## ***IULIUS FEMINAM PULCHRAM IN FORO TUSCULANO ASPICIT***

Iulius atque Aemilia in villa Cornelii sunt. Femina Cornelii est Dorippa. Aemilia et Dorippa amicae sunt, etiam Iulius et Cornelius amici sunt. Iulius, Cornelius, Aemilia Dorippaque ad forum Tusculanum eunt. In foro Tusculano multae tabernae sunt. Aemilia et Dorippa tabernis delectantur, Iulius et Cornelius autem eas non amant. Albinus, qui est tabernarius Romanus, ornamenta vendit. Alii libros vendunt, alii bestias, alii mala et pira. Albinus clamat: “Ornamenta, ornamenta feminarum.” Aemilia: “Ille tabernarius ornamenta vendit.” Aemilia et Dorippa ad tabernam Albinii currunt. Cornelius autem it ad Philippi tabernam, in qua venduntur libri. Iulius apud Philippi tabernam non est, sed aspicit formosam feminam suam. Iulius Aemiliam amat et ab ea amatur. Iulius ad Aemiliam adit et videt Dorippam emere multos anulos sine gemmis. Aemilia Iulium videt atque Albinum interrogat: “Quot nummis constat illa linea?” Albinus: “Illa cum aut sine margaritis?” Iulius: “Illa cum margaritis.” Albinus: “Centum sestertiis.” Iulius: “Quid? Centum sestertiis? Id magnum pretium est.” Albinus: “Non magnum, immo parvum pretium est.” Itaque Iulius emit lineam, quia Aemiliam amat. Aemilia laeta est et osculum Iulio dat. Cornelius emit duos libros et Dorippa emit anulos sine gemmis. Et Iulius et Cornelius et Aemilia et Dorippa ad villam Cornelii reveniunt.

*Luigi Boccia*